



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Zenonis Imperio & vita. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

EVAGRII SCOLASTICI, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER

TERTIVS.

De Zenonis Imperio & vita. Cap. I.



ZENO, posteaquam imperij clauum, filio suo mortuo, obtinuit, perinde ac si persuasum sibi haberet, se minimè totius orbis terræ dominatu posse potiri, nisi omne voluptatû genus, quod forte occurreret, licenter & effuse cõsectaretur, in initio ita libidinum illecebris se totum dedidit, vt à nulla turpitudine, & nefario flagitio se cõtinerit, sed sic in illis volutaretur, vt eadem ista in tenebris & in occulto admittere, abiecti & pusilli animi putaret, palam autem atque in oculis omnium regale quiddam esse, & solo imperatore dignum. In qua re peruerso & plane seruili iudicio vsus est: quippe imperator non ex eo, quòd alijs imperat, spectari debet, sed ex eo, quòd seipsum ita regere ac moderari potest, vt nullum absurdum voluptatis genus sinat in animum irrepere, sed ita inuictum se ab intemperantia præster, vt vita eius sit tanquam imago virtutis, quam & imitentur subiecti eius, & ad virtutem erudiantur. At iste se exposuit voluptatum blanditijs, pedetentimque in tam turpem seruitutem reductus fuit, vt inde nullo modo redimi posset: quippe qui dominos persæpe mutarit, non aliter atq; serui inutiles ac perditî, quibus voluptates innumerabiles, velut dominæ præficiuntur: quæ quidem continenter titillant animum, & crebræ, alia aliam, sequuntur: quandoquidem voluptati, quæ iam quasi in manibus est, nullus terminatur modus, sed ex ea quidem alia atque alia vsque eo inciditur, ortumque habet, quoad aliquis vel ita sibi impe-

1259 25-

EVAGRII HISTORIAE

gare aggrediatur, vti totum voluptatū imperium abs se penitus repellat, deque cætero regno potiatur ille ipse, vel eorum tyrannide oppressus ad extremum vsque spiritum illis inferuiens, tandem ad inferos miser detrudatur.

*De Barbarorum tum in oriente tum in occidente incursionibus. Cap. II.*

*Vid. Pli.  
lib. 6. ca.  
28.*

**A**D hunc modum Zeno in initio imperij sui vitam instituit. Illius autem subiecti, tam qui orientem, quam qui occidentem incolebāt, grauib. afficiebantur incommodis: quippe Barbari, qui Scenitæ vocantur, loca omnia populati sunt, multitudoque Hunnorum, qui olim vocabantur Massagetæ, in Thraciam incursionum fecit: quinetiam traiecit Danubium, prohibente nemine. Zeno verò reliquis etiam imperij partibus per vim Barbaro quodam more ac modo spoliatus fuit.

*De tyrannide Basilisci, & Zenonis fuga. Cap. III.*

**I**ste Zeno, cum Basiliscus Berniæ frater contra eum arma ferre pararet (erat enim suis ideò odiosus, quòd omnes ex æquo flagitiosissimam eius vitam detestabantur: quandoquidem nulla in eo animi magnitudo elucebat, sed ignavia, & desperata nequitia, quæ fractam illius & euictam à voluptate socordiam satis indicauit) animo demisso fugam capessit, Augusto imperij honore sine vlllo negotio Basilisco relicto. Atque vnà cum coniuge Ariadna, quam secum habebat, quæque fugerat à matre, & si quis alius erat, in quo quicquam erga eum residebat benevolentia, in Isauria, quæ illum antè educauerat, obsessus est. Hoc modo igitur Basiliscus Imperij Romani nactus gubernacula, Marcum filium Cæsarem renunciauit: rationemque imperandi tum Zenoni, tum imperatoribus, qui ante regnauerant, omnino contrariam secutus est.

*Quòd Basiliscus, Timotheo Aeluro reuocato, ab eo persuasus, circulares quædam versum literas ad condemnandum Chalcedonense concilium emisit.*

*Caput IIII.*

*Iste Ba.*